DISPUTATIO VI.

DE NECESSITATE, ET IMPOSSIbilitate morali.

PRius agemus, an necesitas detur in rebus, an solum sit denominatio extrinseca orta ex prudenti iudicio fundato in experientia eventuum. Idem quod dicimus de necesitate morali unius extremi, dicimus de impossibilitate morali oppositi.

SECTIO I.

An detur in rebus necessitas, & impossibilitas moralis? An solùm sit denominatio extrinseca?

1 SUp. 1. Impossibile esse moraliter, supposita multitudine hominum, vitari omnia omninò peccata lethalia ex Matth. 13. necesse est, ut veniant scandala. *Similiter* est moraliter impossibile, hominem sine speciali privilegio vitare omnia peccata venialia, etsi singula vitare possit ex Tridentin. sess. 6.

6. Canon 23. Ex quibus oritur difficultas apud Theologos implexa componendi libertatem determinatam cum necessitate morali vaga, quam latè tractat. Ruiz disp. 8. de providentia, & obiter hic resolvitur: quia quæstio præsens directè intendit, an hæc necesitas, & impossibilitas detur ex parte rerum, vel solùm in iudicio orto ex experientia: & idem quod dicitur de necesitate, dicitur de impossibilitate: quia necesitas unius contradictorij est impossibilitas alterius.

2 Sup. 2. Tunc aliquid esse moraliter necessarium, quãdo non solùm est imprudens iudicium de non existentia, sed etiã suspicio, seu hoc iudicium formidolosum *fortè non erit*. Hac ratione est moraliter certum dari Romam: quia imprudens est simile iudicium, & moralis necesitas est moralis certitudo: *Similiter* aliquid est moraliter necessarium, quando oppositum est incredibilis veritatis, & magnæ admirationis, seu instat miraculi. Sic est moraliter necessarium iacientem talos vigesies eundem numerum non iacere. Matrem (seclusis alijs fundamentis) non amare filium, & similia.

3 Sup 3. Aliquando (iuxta modum loquendi) impossibilitatem moralem se-

nare

nare magnam difficultatem, seu impotentiam physicam eligendi, vel temperandi impulsum ratione cuius eventus non sit imputabilis; sed moraliter casualis. Hac ratione moraliter impossibile est, hominem iacientem talos vigesies eundem numerum iacere: vigesies ex urna eandem sortem educere: & hoc non dicitur moraliter impossibile respectu Angeli, non alia ratione, nisi quia Angelus potest eligere, potest temperare impulsum; secùs homo. Verùm certum est dari impossibilitatem moralē vagam uniformiter operandi sub mille libertatibus saltem cum æquali indifferentia respectu cuiuslvis extremi, & sine maiori difficultate, aut inclinatione ad unum; ac ad aliud: hac ratione est moraliter impossibile, in mille hominibus non dari verbum otiosum: cum quilibet sit indifferens moraliter ad vitandum verbum. *Similiter* est determinate impossibile moraliter unum extremum, quando tot sunt exclusiva illius æquè contingentia, ut reddant imprudens hoc iudicium *forte erit*. Item aliqua sunt Deo moraliter necessaria consequenter, quæ sine ulla difficultate vincere potest.

4 Difficultas tamen non parva vi-

detur in assignanda materia sufficienti ad dicendum extremum *A*, determinatè esse moraliter impossibile: quia cum esse moraliter impossibile unum extremum, consistat in eo, quòd hoc iudicium sit imprudens *forte erit*, & prudentem iudicia sint valdè diversa: alij plura, alij pauciora exclusiva æquè contingentia requirent ad imprudentiam talis iudicij. Rem explico, Herrera q. 10. de volunt. n 35. ait quamlibet combinationem rerum de facto existentium esse Deo moraliter impossibilem, & de facto illam ponere sine ulla difficultate, & molestia. Item asserit, quòd quando exclusiva æquè contingentia sunt pœnè innumera, tunc datur impossibilitas moralis huius extremi. Hæc regula sic data, nescio, an sit vera. 1. quia alias esset moraliter impossibile, Petrum die festo audire Sacrum: quia solus est unicus modus audiendi Sacrum. Scilicèt eundo in templum; & innumeri sunt modi non audiendi Sacrum, scilicèt, manendo domi, & in tali cubili, & in tali sede, & eundo hùc, & illuc sine fine: quis autem credat esse moraliter impossibile, Petrum audire Sacrum: & consequenter invalidum esse votum audiendi Sacrum, & præcepta tàm humana, quàm divina frequē-

ter

ter obligare ad id, quod est moraliter impossibile? Undè (salvo meliori) censeo, quòd assignare numerum, est difficile, & quod solùm dicenda sunt, esse moraliter impossibilia determinatè illa, quæ communiter censentur esse talia : de reliquis verò generaliter dicendum, illa esse moraliter impossibilia, quæ reddunt imprudens hoc iudicium *fortè erit*, quæ autem sint hæc? nescio, neque hæc faciunt ad quæstionem.

5 Quæstio ergo procedit: an detur in rebus impossibilitas moralis? Circa quam quæstionem duplex distinguenda est impossibilitas moralis : alia consistens in magna inclinatione ad extremum oppositum, qualiter communiter censetur dari in Matre ad odio habendum filium orta ex inclinatione magna ad illum amandũ: & hanc ferè omnes concedunt cum Ruiz disp. 9. & 10. de volunt. Ribadeney. disp. 14. de volunt. à nu. 47. Izquier. disp. 41. de Deo. num. 147. eamque vocat similiter antecedentem Iunio de præd. sect. 3. cap. 2. num. 18. Herrera q. 10. de volunt. nu. 3. Quamvis Aranda disp. 58. de Deo nu. 369. neget talem necessitatem moralem, asserendo esse necessitatem physicam, si quæ datur. Maior difficultas est: an im-

impossibilitas moralis vitandi peccata omnium hominum: & in quolibet vitandi omnia venialia, & iaciendi vigesies eundem numerum talorum, sit aliquid ex parte rerum? Aranda num. 359. in iactu talorum, & in rebus fortuitis impossibilitatem moralem reducit ad impossibilitatem physicam eligendi, & temperandi impulsum. Cumulum verò extremorum æquè contingentium non iudicat sufficientem ad prudenter desperandũ. In alijs verò casibus, scilicèt, in rebus per se liberis, censet nu. 354. *Rem esse moraliter necessariam*, & *moraliter impossibilem* esse puros terminos: quia nihil est neque intrinsecum, neque extrinsecum ex parte rerum, quæ sit moralis impossibilitas, itaque est pura denominatio orta ex prudenti iudicio fundato in experientia, quin sit aliud in quo fundetur. Idem dixerat Aldrete tom. 1. de Incarnat. disp. 2. sect. 2. Quiròs de prædest. disp. 4. sect. 2. *Illam tamen* dari in rebus tenet Ribaden. disp. 14. de volunt. nu. 17. Izquierd. supra nu. 147. eam vocans quodammodo consequentem: quia iam eam identificat cum oppositione, quam habent ipsi effectus ad uniformitatem, iam cum ipsa multitudine libertatum. Ita P. Iunio supra eam

vo-

vocans comitantem, & Herrera quæst. 10.

6 Dico 1. Impossibilitatem moralem iaciendi vigesies eundem numerum, educendi ex urna vigesies eandem sortem, supposita impossibilitate eligendi, & temperandi impulsum rectè fundari in multitudine exclusivorum, quin recurratur ad experientiam. Prob. 1. nulla data experientia esset incredibilis veritatis, magnæ admirationis, & instar miraculi, quod vigesies idem numerus iaciatur, & esset imprudens hoc iudicium. *Fortè vigesies exibit idem numerus*: ergo. Prob. ant. iuxta Aranda: multitudo illius cumuli antecedenter ad experientiam sufficit ad prudenter iudicandum *non exibit toties idem numerus* : ergo multitudo cumuli multum crescens, antecedenter ad experientiam poterit sufficere ad reddendum imprudens hoc iudicium : *Fortè vigesies exibit idē numerus*. 2. Quod plura sunt exclusiva alicuius termini, quorum quodvis sit æquè contingens, ac ipse terminus, attento solo lumine rationis, est difficilior positio illius termini: si solùm esset unum exclusivum, esset æquè contingens. Si essent duo exclusiva, minus; si viginti, si centùm, si mille minus: quia quo plura sunt

sunt extrema æquè contingentia, quodlibet redditur minus contingens: ergo tot possunt augeri exclusiva termini, quorum quodvis sit æquè contingens, ut attento solo lumine rationis antecedenter ad experientiam positio termini sit incredibilis veritatis, & moraliter impossibilis.

7 Dico 2. Cum Izquierd. Iunio, Herrera supra. Necessitas moralis peccandi venialiter, & idem de impossibilitate morali vitandi omnium hominum peccata existit in rebus : & hæc rectè vocatur quodammodo consequens cum Izquierdo: quia sufficienter fundatur in oppositione morali, quam multitudo effectum habent ad uniformitatem : & rectè vocatur comitans cum Iunio, & semi extrinseca cum Izquier. quia rectè salvatur in multitudine libertatum, quæ inter se comitanter se habent: & quævis libertas, cum sit sibi intrinseca, est alteri extrinseca. Prob Quòd rectè fundetur in diversitate libertatum, ut inde constet probatio ex multitudine effectuum. 1. Iuxta omnium sententiam, etiam iuxta Aranda, impossibilis est moraliter creatura omnibus auxilijs restitura, & hæc impossibilitas fundatur in multis, & varijs modis

quibus Deus posſit illam vocare: ergo, impoſsibile eſt, quòd omnes homines ſint uniformiter rectè operaturi, quæ impoſsibilitas fundatur in multitudine, & diverſitate libertatum: non enim facilè erit diſparitatem aſsignare: Et ſimiliter impoſsibilitas moralis non peccandi venialiter, rectè ſalvabitur in diverſitate, & multitudine libertatum, reſpectu eiuſdem voluntatis.

8 *Confirm.* Attenta præcisè natura libertatum, & ſecluſa quavis experientia, difficile eſt viginti libertates diſtinctas, habentes dominia diſtincta, inclinationes, & indoles, uniformiter operari; & magis difficile, quòd centum, & magis quòd mille: ergo poterant ita magis, & magis multiplicari, ut non ſolùm ſit imprudens hoc iudicium *uniformiter operabuntur*. Sed etiam hoc *fortè uniformiter operabuntur*. Sed hoc eſt, eſſe moraliter impoſsibilem uniformitatem attenta natura libertatum: ergo hæc impoſsibilitas moralis rectè dicitur inveniri in multitudine, & diverſitatè libertatum. 2. Iuxta principia Arandæ multitudo, & diverſitas libertatum ſufficiens eſt ad reddendum imprudens iudicium de uniformitate operationum: ergo ſi ulterius augeatur ma-

magis, & magis, ſufficiens erit ad reddendum imprudens hoc iudicium *forte operabuntur uniformiter*: dum ergo hoc eſt imprudens, datur impoſsilitas moralis.

SECTIO II.

Solvuntur argumenta.

9 *Obij.* Quiròs. Supponamus, dari mille homines, & Petrum ſolùm loqui otiosè. Nunc ſic. Inter mille homines datur neceſsitas moralis vaga de eo, quòd aliquis loquatur otiosè. Sed non datur neceſsitas moralis de eo, quòd reliqui præter Petrum loquantur otiosè: quia ſupponimus, non loqui otiosè, & ab oppoſito conſequentis valet ad oppoſitum antecedentis. *Deinde* non datur neceſsitas moralis de eo, quòd Petrus loquatur otiosè: quia aliorum ſilentium nullam habet exigentiam, titulum, conducentiã, neque influxum in eo, quod Petrus loquatur otiosè: ergo non datur in rebus neceſsitas moralis loquendi otiosè aliquem determinatè. *Deinde* ex hoc ſequitur non dari neceſsitatem loquendi otiosè vagè: quia neceſsitas vaga inter ali-

quam collectionem redditur necessitas determinata unius ex suppositione defectus aliorum, ut patet in necessitate de existentia Petri, aut eius carentiæ, & sic in alijs. Sed Petrus per nos non est necessitatus determinatè ad loquendum otiosè adhuc ex suppositione silentij aliorum: ergo non datur necessitas vaga de eo, quòd aliquis loquatur otiosè.

10 Huic argumento etiam adversarij tenẽtur respondere: quia ipsi dicunt, esse necessarium moraliter, aliquem ex mille loqui otiosè necessitate fundata in experientia; seu dicunt, esse necessarium iudicium de eo, quòd aliquis loquatur otiosè. Sed non est necessarium iudicium de eo, quòd reliqui præter Petrum loquantur otiosè, non de eo, quòd Petrus determinatè: ergo neque de eo, quod aliquis vagè: quia iudicium, quod est vagè verum de aliqua collectione, verificatur determinatè per unum ex suppositione defectus aliorum: Ecce tuum argumentum. Resp suponendo prius, malè assumere arguentem, quòd in consequentia morali, rectè arguitur ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis: sic *Non datur terminus: ergo non datur necessitas moralis*: quia solùm arguitur sic: *non da-*

datur terminus; ergo vel non datur necessitas moralis, vel accidit res incredibilis veritatis, & magnæ admirationis; sicut in consequentia physica ita arguitur: *Non datur combustio: ergo vel non datur ignis applicatus, vel datur miraculum.* Et ratio est: quia necessitas moralis vinci potest physicè, & incredibiliter; sicut necessitas physica vinci potest miraculosè. Deindè malè assumit, in necessitate morali vaga rectè inferri necessitatem determinatam ùnius ex suppositione defectus aliorum: quia necessitas moralis vinci potest per partes, & quo plures restiterunt, datur minor, & minor necessitas respectu reliquorum; cum maneat minor numerus. Undè dum pervenit ad ultimum, respectu illius iam nulla datur necessitas, sed omnimoda indifferentia. At verò necessitas vaga metaphysica, cum sit indivisibilis & invincibilis, necessariò debet coniungi cum aliquo illorum: undè ex eo, quòd non existat Petrus, rectè infertur, existere carentiam. Hinc patet solutio: concet. mai. dist. min. Non datur necessitas de eo, quòd reliqui determinatè loquantur otiosè, conced. min. vagè, neg. min. & idem de Petro, & neg. cons. *Ad* 2. neg. Assumpt. Ad prob. dist. Necessitas

metaphysica vaga redditur determinata; conced. mai. necessitas moralis, neg. mai. propter dicta.

11 *Insistes.* Sit casus præcissus mille hominum ad statuendam necessitatem moralem verbi otiosi, ita ut uno ex mille dempto, non daretur talis necessitas. Nuc sic. Si tacentibus reliquis, Petrus loqueretur otiosè: non esse victa necessitas moralis; sed potius esset illi satisfactum: ergo tacentibus reliquis, adhuc restabat vincenda necessitas moralis in loquutione Petri: ergo tacentibus reliquis dabatur necessitas moralis de eo, quòd Petrus loqueretur otiosè determinatè: aliàs non restaret vincenda necessitas, cum non restet vincendum, quod non est: ergo necessitas moralis vaga ex suppositione defectus aliorum, redditur determinata. Huic etiam tenetur similiter respondere adversarij, ut constat ex instantia dicta facile applicabili. *Resp.* admisso casu, quòd necessitas moralis consistat tam indivisibili, ut ita dicam, dist. ant. Si tacentibus reliquis. Petrus loquatur otiosè, non esset victa necessitas adæquatè, conc. mai. inadæquatè, & maiori ex parte, nego. Itaque tacentibus reliquis, erat victa necessitas moralis maiori

ri ex parte: quia resultabat ex omnibus mille; at restabat vincenda illa necessitas inadæquatè à Petro hoc tamen non probat, Petrum esse determinatè necessitatũ ex illa suppositione ad loquendum otiosè; sed solùm Petrum esse indifferentem: quia illa necessitas resultat ex omnium indifferentia. Undè Petrus tam indifferens est ad non loquendum otiosè, ac si alij locuti fuissent otiosè: quòd verò per illud verbum otiosum satisfiat necessitati, non probat deberi illud verbum otiosum determinatè: quia potest satisfieri alicui debito per aliquid indebitum: sic veritati huius: *Aliquis homo currit* non debetur, quòd Petrus currat, & per eius cursum fit satis. Et huic disiunctæ, & vagæ: *Aliquis equus requiritur ad equitandum* fit satis per equum album: quamvis equus albus non sit debitus veritati illius propositionis.

12 *Obij.* 2. Rectè potest componi, dari necessitatem moralem in cognosci, & iudicando, quin detur necessitas moralis in re. Prob. in casu verisimili, quod ex centum mille homi nibus inveniantur mille; qui non loquantur otiose. Nunc sic his mille consideratis necessarium est aliquem ex his locuturum otiosè. Sed

non datur hæc necessitas in re : quia ipſi non loquuntur otiosè : ergo potest aliquid esse necessarium in cognosci, quin sit necessarium in re. *Aliter.* Prædeterminet Deus hominem, ut non peccet venialiter in tota vita: tunc est necessarium moraliter in cognosci, illum peccaturum venialiter. Sed non datur necessitas moralis, in re peccandi venialiter, cum potius detur necessitas metaphysica non peccandi venialiter. *Deindè* in hac propositione: *Aliquis homo currit*, cursus existit vagè in intellectu, & non existit vagè, à parte rei: ergo rectè potest existere aliquid esse vagè necessarium in intellectu : quin existat necessitas vaga à parte rei.

13 Hoc argumentum non est contra nos, qui non probamus nostram conclusionē ex eo, quòd non possit dari necessitas moralis in iudicando, quin detur necessitas moralis in re; sed ex alijs capitibus, allatis rationibus conclusionis: ideò argumentum ad summum probat, posse dari prudenter aliquod iudicium apparenter verum, & in re falsum : quod quis neget. Et item posse aliquid esse vagè, distributivè, adunativè in intellectu, quod non sit ita à parte rei, quod non ne-

ga-

gamus. Item probat, posse contingere aliquid esse moraliter impossibile, & tamen existere, quod libenter fatemur: sicut potest aliquid esse physicè impossibile, & in re existere, & in re esse metaphysicè necessarium, ut accidit in miraculis: impossibile enim est existere accidentia panis sine substantia panis, & in re existunt, & in re datur decretum, quod est necessitas metaphysica de tali existentia. *Respond.* permisso assumpto: nihil esse contra nos. Ad syllogismum, concesi mai. neg. min. itaque verum esset, quòd in illis mille hominibus daretur necessitas moralis loquendi otiosè; tamen dabatur incredibiliter victa *Ad 2.* Similiter non est contra nos propter rationem nuper datam. *Resp.* itaque concesi. mai. min. & consequ. quod non est contra nos. Tunc daretur quoad nos necessitas moralis peccati venialis in illo homine: quia ignorabamus privilegium speciale talis prædeterminationis; in re tamen non dabatur illa necessitas: quia solùm est necessarium moraliter hominem peccare venialiter sine speciali privilegio, quod tunc dabatur. Vel dic, tunc dari necessitatem moralem victam, si superiora non placent, & sic dist. min. & permit. cons.

14 *Obij.* 3. Aranda vocans suam sententiam evidentem, & nostram sola verba continere. Collectio illa voluntatum est talis, ut quævis secundum se sit indifferens ad loquendum otiosè, & non minus indifferens ex consortio aliarum: ergo ex parte earum non potest dari connexio cum verbo otioso: quia si ex consortio aliarum non redditur minor indifferentia: qua ratione potest esse connexio? Quod explicari posset alijs rationibus, quibus probat possibilitatem creaturæ rebellis, quas ibi proposuimus, & nō iudicavimus satis efficaces: ideòque eas non repetimus. Optarem tamen consequentiam in hoc Authore: quia nu. 357. ait, multitudinem libertatum sufficere, ut imprudenter iudicem uniformitatem. Si ergo multitudo sufficiens est ad reddendum imprudens iudicium de uniformitate: cur non ita poterit crescere multitudo libertatum, ut imprudens reddat illud: *fortè uniformiter operabuntur*: quod apud ipsum reddit imprudens ipsa experientia? Item quodvis instans secundum se est pertransibile, & non minus pertransibile ex coniunctione cum alijs: ergo tota collectio ex se est pertransibilis. *Resp* dist. ant

ant. quævis est determinatè indifferens ad loquendum otiosè, conc. ant. est vagè indifferens, seu est indifferens ad loquendum vagè, hac, vel illa libertate, & loquutione, neg. ant. & dist. conseq. non potest dari connexio determinata, seu determinatè respiciens libertatem *A*, conc. cons. connexio vagè, seu vagè respiciens libertatem, nego conseq. itaque quælibet libertas est determinatè indifferens ad loquendum otiosè, seu ad loquendum otiosè determinatè, & per determinatam libertatem, & inadæquatè constituit vagam necessitatem sui, & aliarum ad loquendum otiosè: undè cum ex consortio libertatum minuatur indifferentia vaga; quid mirum, quòd ex consortio illarum resultet connexio vaga? sicut apud ipsum nec ex operatione huius libertatis est necessitatus intellectus ad iudicandum verbum otiosum futurum, neque ex operatione illius; sed ex consortio omnium; & consortium cum alijs relinquet reliquas operationes tàm indifferentes, quàm erant, vel si hoc consortium non relinquit operatione tam indifferentes ad determinandum illud iudicium: cur miratur, quod nos dicamus ex illo consortio minui vagam indifferentiam?

Obij.

15 *Obij.* 4. Sint mille sortes in urna his numeris 1.2.3. instar miraculi haberetur, quòd omnes extraherentur hoc ordine, secus quòd aliter extraherentur. Nunc sic: tot sunt modi excludendi hunc modum, quo inverso ordine extrahantur; ac illum modum, quo extraherentur non inverso ordine. Sed extrahi inverso ordine non censetur moraliter impossibile: ergo falsum est, quòd multitudo exclusivorum reddit extremum moraliter impossibile: ergo quòd in primo casu extrahi non inverso ordine habeatur instar miraculi non provenit ex multitudine exclusivorum. *Resp.* dist. assumpt. quoad secundam partem, secùs quòd aliter extrahantur non determinando modum determinatum, conc. determinando modum determinatum, nego. Ad syllogism. concess. mai. dist. min. non determinando modum, conc. mai. determinando modum, nego mai. & conseq. Itaque verum est fore instar miraculi, quòd extraheêrtur non inverso ordine: & æquè mirabile esset: quod cum determinata inversione extrahantur, quæcumque illa sit, v. gr. esset mirabile, quòd extraherêtur sic 1.3.5. &c. & quòd extraherentur sic 2.4.6 &c. & æquè imprudenter iudicaretur talis modus extraheudi:

di: quòd vero extrahantur in verso ordine, id est sine ullo ordine, v. gr. 1.4.7 &c. non est mirabile; sed necessarium; & cum in hoc sistat apprehẽsio, & iudicium, quod educantur inverso ordine, & non quòd taliter inverso ordine educantur, ideò non miratur: in re tamen mirum est; extractas esse eo determinato ordine, quo extractæ sunt, & vincta est hæc numerò impossibilitas moralis.

SECTIO III.

Necessitas moralis quæ datur in infinitis ad peccandum læthaliter, non tollit libertatem moralem cuiusvis. Et idem de peccato veniali respectu unius hominis in longa vita.

16 SUp. 1. Data necessitate vaga ad loquendum otiosè inter mille, quemlibet habere libertatem moralem ad non loquendum otiosè antecedenter ad defectum verbi otiosi aliorum. In hoc omnes conveniunt: quia illa necessitas nullius operationem respicit determinatè, & fundatur in omnimoda indifferentia cuiusvis ad ita loquendum. Sed omnimoda indifferentia

ad

ad loquendum otiosè est libertas moralis addita loquendum: ergo antecedèter ad defectum verbi otiosi aliorum, quilibet habet libertatem moralem ad loquendum otiosè. Patet hoc etiam in sententia probabili non admittente creaturam rebellem, in qua cum necessitate metaphysica vaga consentiendi sub aliquo auxilio, componitur libertas etiam moralis dissentiendi cuivis auxilio antecedenter ad suppositionem consensus aliorum. Item quælibet libertas est necessitas vaga ponendi consensum, & dissensum, & est libertas moralis ad ponendum quodvis: difficultas est an Petrus, v.gr. sit necessitatus moraliter ad loquendum otiosè ex suppositione non locutionis otiosæ aliorum, data in rebus necessitate morali? Asserunt hanc necessitatem negantes, necessitatem moralem dari in rebus. Idem habent Arriaga, Ruiz, & Aguirre hic disp. 123. sect. 47. Negat talem necessitatem Izquier. Iunio, & Herrera supra.

17 Dico. Data in rebus necessitate morali vaga, Petrus non est necessitatus moraliter ad loquendum otiosè adhuc ex suppositione non loquutionis otiosę aliorum. Prob. Quando est victa vis inferendi moraliter verbum otiosum, non datur necessitas moralis determinati verbi otiosi. Sed in dicto casu, in quo re vera datur necessitas moralis loquendi otiosè, supposita non locutione otiosa aliorum, est victa vis inferendi moraliter verbum otiosum: ergo non datur necessitas moralis verbi otiosi in Petro. Prob. min. Vis inferendi verbum otiosum identificatur cum necessitate morali verbi otiosi, ut prescindenti à non locutione otiosa omnium, vel ferè omnium: quia necessitas moralis, ut coniuncta cum non locutione otiosa omnium, vel ferè omnium, non habet vim inferendi verbum otiosum: quia ut sic coniuncta non est certitudo moralis de existentia verbi otiosi, cum potius sit, aut certitudo, aut probabilitas de non existentia verbi otiosi: ergo in dicto casu victa est vis inferendi verbum otiosum in necessitate morali. *Confirm.* Quamvis accidentia panis connexa sint physicè cum substantia panis, & pro signo prescindenti ab eo, quòd sit victa eorum exigentia sit certitudo physica de existentia substantiæ panis, tamen pro signo, in quo datur decretum de non existentia substantiæ panis; non est certitudo physica, nec habent vim inferendi physicè

sub-

substantiam panis: quia iam est victa eorum vis inferendi: aliàs esset physicè verum, & prudens hoc iudicium: *in Eucharistia datur substantia panis*: ergo similiter necessitas moralis, quæ ex se est connexio, & certitudo moralis pro signo præscindenti, pro signo sequenti defectus verbi otiosi, cum sit victa eius exigentia, non est certitudo, neque habet vin inferendi moraliter verbum otiosum. Hæc vera sunt; sed fortè non ita clara. Ideò.

18 Prob. 2. Necessitas moralis fundatur in mille contingentijs plenè indifferentibus ad loquendum, & non loquendum otiosè, non verò in una contingentia plenè indifferenti ad loquendum, & non loquendum otiosè. Sed suppositâ non locutione aliorum præter Petrum iam non dantur mille contingentię plenè indifferentes ad non loquendũ otiosè; sed solum una: quia reliquæ iam sunt determinatæ ad non loquendum otiosè: ergo in tali suppositione non datur necessitas moralis, ut Petrus loquatur otiosè. Mai. prob. Necessitas moralis consistit in fundamento reddente prudẽs hoc iudicium: *dabitur verbum otiosum alicuius*. Sed hoc iudicium non redditur prudens per unam contingentiam plenè indifferentem; sed per

per unam contingentiam plenè indifferentem; sed per mille: ergo necessitas moralis fundatur non in una, sed in mille contingentijs plenè indifferentibus: cum ergo in illo casu iam solùm detur Petrus plenè indifferens, iam non datur necessitas moralis respectu illius. *Confirm.* Iuxta adversarios necessitas moralis est iudicium fundatum in experientia: nunc rogo in tuis principijs suppositâ non locutione aliorum, iudicabis. Petrum locuturum otiosè? Minime dicis: quia iam superata est communis experientia, seu quia operati sunt supra experientiam, in qua fundari poterat illud iudicium: cum ergo miraris nos dicere, iam non posse iudicari dandum verbum otiosum: quia hoc iudicium fundari debebat in libertatibus multis indifferentibus ad loquendum otiosè, si suppositâ non locutione non dabantur plures libertates plenè indifferentes ad loquendum otiosè, cum iam essent determinatæ ad non loquendum otiosè.

19 *Obijc.* 1. Ea ratione, qua datur certitudo antecedentis inferentis consequens, datur certitudo consequentis. Sed in casu posito datur certitudo antecedentis inferentis Petrum locuturum otio-

sè: ergo datur certitudo locutionis otiosæ Petri Prob. min. Datur certitudo harum præmissarum: *Aliquis ex his loquetur otiosè: Reliqui non loquuntur otiosè.* Sed hoc antecedens infert; Petrum loquuturum otiosè: quia in veritate disiunctiva, ex negatione omnium extremorum præter unum infertur illud: ergo in dicto casu datur certitudo antecedentis inferentis Petrum loquuturum otiosè. *Resp.* conc. mai. nego min. Ad prob. conc. mai. & neg. min. quia antecedens verbi otiosi solùm potest esse contingentia plurium plenè indifferentium ad loquendū otiosè; & iam non dabatur nisi una contingentia indifferens, scilicèt, Petrus. Ad subsumptam (permisso quòd illa necessitas moralis reddat veram disiunctivam; non præcisè disiunctam) dist. in omni disiunctiva metaphysicè certò vera à negatione omnium extremorum præter vnum, infertur vnum concedo; in disiunctiva solùm moraliter vera, nego, itaque in disiunctiva metaphysicè certò vera rectè valet à negatione reliquorum ad positionem vnius: quia hæc necessitas vinci non potest: at verò necessitas moralis vinci potest, & dari sine suo termino: at sicut vinci potest, ita potest paulatim

tim vinci, & fieri minor per diminutionem extremorum, sicut potest fieri maior per additionem, & ita poterunt minui extrema, seu contingentiæ, inter quas versatur, ut solùm detur vna contingentia, & in vna contingentia respectu sui exercitij non datur necessitas.

20 Explicatur solutio. Si auferrentur reliqui, & solus maneret Petrus, daretur necessitas moralis, vt Petrus loqueretur otiosè? Minime: cum ergo necessitas moralis fundetur in mille libertatibus plenè indifferentibus, idem est dicere, reliquos esse determinatos ad non loquendū otiosè; ac si solùm maneret Petrns: quia hic solùm manet indifferens; quomodo ergo inferretur Petrum locuturum otiosè? 2: Iuxta adversarios datur hoc iudicium moraliter verum fundatum in experientia: *Aliquis loquetur otiosè.* Iam idem facio argumentum disiunctivæ veræ: si reliqui non loquantur otiosè, iudicabunt Petrum locuturum otiosè? Sicut ergo illi negant hanc illationem; ita nos eandem negamus propter rationes conclusionis. Itaque dicimus dari necessitatem moralem, & connexionem moralem, & certitudinem moralem de eo, quòd aliquis consentiet; sed cum hæc identificetur

tur cum illis libertatibus indifferentibus; datur pro signo illorum, non pro alio: cum verò pro signo determinationis reliquarum ad non loquendum, iam non dentur illæ indifferentes, pro illo signo; neque datur necessitas moralis, neque connexio, neque necessitas moralis verbi otiosi: non quia verè extiterit, & verè defecerit in eodem instanti: quia hoc est chymæra: sed quia existit in suo signo; non verò in alio signo. Sicut libertas existit in signo indifferentiæ; non verò in signo determinationis, quin verè deficiat, seu quia necessitas, & certitudo, quæ dabatur in primo signo, intelligitur victa in secundo signo: sicut libertas, quæ erat indifferens pro priori ad operationem, intelligitur determinata pro signo operationis. Unde infertur, quòd pro signo determinationis, neque datur necessitas determinata, vt Petrus loquatur otiosè, neque necessitas vaga, vt aliquis loquatur otiosè: quia neque datur indifferentia, neque diversitas operationum; in qua fundari posset. Hæc pre oculis habenda.

21 Quia sic benè intelligitur, quòd pro illo signo, seu in tali suppositione non detur exigentia verbi otiosi adhuc vaga, cui satisfieri debeat: quia hæc exigen-

gentiam solùm dabatur pro signo indifferentiæ omnium: siquidem pro illo solo signo datur libertas, in qua consistit, seu fundatur talis necessitas. Patet etiam, quòd cum vis illativa moraliter identificetur cum libertatibus, & libertas se teneat ex parte actus primi, qui semper remanet, vis illativa moraliter semper remanet; verùm remanet pro suo signo; non pro alio. *Vel clariùs.* In suo signo infert; verùm cum pro signo sequenti, iam detur determinatio reliquorum ad non loquendum otiosè, non datur vis illativa in signo sequenti; sed potius victoria vis illativę. Sicut si aliquis vinceret per dissensum magnam inclinationem ad consensum: in illo instanti daretur magna inclinatio ad consensum; verùm hæc daretur pro signo libertatis; non pro signo dissensus: quia pro signo dissensus potius datur victoria inclinationis.

Similiter accidit in nostro casu.